



T A R Q V I N I V S Priscus qui prius Lucumo, Romano-rum Rex quintus, imperauit Romanis anno mundi 3349. ante Christum natum 613. apud Ancum Martium liberaliter de-xtréque obcundo officia, in familiarem venit amicitiam, vt pu-blicis ac priuatis consiliis bello, domique interesset, & per omnia expertus postremo tutor etiam liberis Regis, testamento insti-tueretur. mortuo Anco, instituit hic vt quāmprimū comitia Re-gi creando fierent, quibus indictis, sub tempus pueros regios ve-natum ablegauit: & primus petisse ambitiosē regnum & oratio-nem habuisse ad conciliandos plebis animos compositā fertur: maximē verò cùm Tatium Sabinum, etiam ex hoste Regem fa-ctum diceret, ac inculcaret, populus eum regnare iussit. nume-rum Senatorum & equitum duplicitauit: Circū Romæ ædificauit, ludos Romanos instituit magnificos: Sabinos vicit: Latinos pri-scos domuit: primus triumphans Romæ intravit: muros & clo-a-cas fecit: Capitolium inchoauit. Tandem à filiis Anci Martij, cui in regno successerat, imperfectus est 37. imperij anno. his tempo-ribus Ierusalem à Nabuchodonosore capta ac euersa est: & Mas-silia condita. Consulito li. 1. Eutrop. Diony. Halicar. li. 3. Titum Li. i. dec. 1.

T A N A Q V I L, Tarquinij Prisci vxor fuit, perita, vt vul-go Etrusci, cœlestium prodigiorum mulier. Hæc cùm aquila sus-pensis demissa leniter alis pileum viri abstulisset, rursusque velut ministerio diuinitus missa, capiti aptè reposuisset, hæc inquam, virum complexa, alta sperare iussit. id siquidem factum est ipsis primò Romam ingredientibus, antequam regnaret ipse Tarqui-nius Priscus. Vide vt supra.